


EPISTULA LEONINA

CCXVII

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CCXVI** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM SEPTIMAM DECIMAM (217) !

ARGUMENTA

1. »ET APPARUERUNT ILLIS DISPERTITAE LINGUAE...« (AA 2,3-4; Doré).....	04
2. PENTECOSTE QUID SIT.....	05-07
3. CHRONOGRAMMA PENTECOSTALE.....	08
4. PENTECOSTE ECCLESIAE DIES NATALIS - CORONA EIUS MORS? (Hahne)....	09-14
5. CHRONOGRAMMATA DEMMINGIANA.....	15
6. IMPERATOR QUALIA VESTIMENTA GESSERIT NOVA (Andersen).....	16-21
7. DOCTOR VOLFGANGUS WODARG.....	22-38
7.1 ...quid sentiat de timore panico coronario.....	23-28
7.2 ...quomodo scandalon influentiae porcariae revelaverit.....	29-33
7.3 ...quid dixerit ad manifestatores Stutgardiensis adhortandos.....	34-38
8. DE ULMENSIBUS MANIFESTATIONIBUS ANTICORONARIIS	39-44
9. DE MANIFESTATORE ANTICORONARIO QUID SENTIAT CUPRARIUS.....	45-46
10. SALIM HAGE PHARMACOPOLA QUID SENTIAT DE VĪRO COVIDIANO.....	47-48
11. MEMORIALE LATINUM IN BASILICA BRUXELLENSI INVENTUM.....	49-50
12. ECHUS VOCES EPISTULAE.....	51-53

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

Epistulam Leoninam tibi offero ducentesimam septimam decimam (217), quam uberrimam tibi haud ingrati fore bene spero.

Prima pars huius Epistulae spectat ad Pentecosten, quae est sollemnitas Nativitatis Ecclesiae, sed quodammodo est etiam Festum interpretum atque translatorum. Memento miraculi illius pentecostalis: “coeperunt loqui aliis linguis”. Ceterum confiteor me parum maturê tibi offerre nuntios pentecostales; sed quia scio te esse unum ex illis, qui studiis humanioribus sunt dediti, pro certo habeo te mihi veniam daturum esse retardato. Plurimum tibi commendo episcopos a Petro Hahne luculenter castigatos; qui interdum scribit cum sale nigro, sed semper magno cum lepôre. Non puto Reinhardum atque Henricum vapulare innocentes.


*Etiam huius Epistulae Leoninae pars maxima dedita est rei horum mensium gravissimae: te invito ut pernoscas Doctorem **Volfgangum Wodarg** revelatorem scandali influentiae porcariae necnon furoris coronarii, virum optimê meritum,*

pessimê diffamatum. Ne omittas ea quae Marcus Haintz patronus Ulmensis refert de manifestationibus anticoronariis a se institutis (quae acriter vituperantur a Doctore Cuprario). Denique restat ut tibi commendem symbolis, in quibus Selimus Sarbelius Hage pharmacopola Bruxellensis scitê disserit de vîro covidiano deque inscriptione Bruxellensi Latinâ.

Tolle lege mirare! Utinam semper procul sis a vîro covidiano: vivas, crescas, floreas!

**Medullitus Te salutat
Nicolaus Groß**

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Veneris, 05. m.Iunii a.2020**



**ET APPARUERUNT ILLIS DISPERTITAE
LINGUAE TAMQUAM IGNIS SEDITQUE
SUPRA SINGULOS EORUM, ET REPLETI
SUNT OMNES SPIRITU SANCTO ET
COEPERUNT LOQUI ALIIS LINGUIS
PROUT SPIRITUS SANCTUS DABAT
ELOQUI ILLIS.**

ACTA APOSTOLORUM 2, 3-4

Pentecoste (»*La pentecôte*«). Pinxit Gustave Doré a.1874.

PENTECOSTE QUID SIT

DIES PENTECOSTES (graecê πεντηκοστή ἡμέρα *pentēkostē hēméra* ‚dies quinquagesima‘) est sollemnitatis christiana. Die temporis paschalis quinquagesimâ, i.e. 49 (undequinquaginta) diebus post Dominicam Paschalem, a christifidelibus celebratur missio Spiritûs Sancti – quae, ut est mysterium et symbolum iconographicum – appellatur aut *Emissio Spiritûs Sancti* aut *Effusio Spiritûs Sancti*.

In Novi Testamenti Actis Apostolorum Spiritus Sanctus narratur e caelo devenisse super apostolos et discipulos, qui ad festum iudaicum שבועות (*Schawuot* i.e. verbatim ‚septimanae‘) celebrandum (τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς ‚diem quinquagesimam‘) Hierosolymae congregati essent (AA 2,1-41). Secundum opinionem Christianorum traditam haec dies dicitur esse dies, quâ ecclesia sit condita. Dies Pentecostes primum anno 130 (centesimo tricesimo) commemoratur esse sollemnitatis christiana.

Origo Iudaica

In Actis Apostolorum 2,1 traditur eventus pentecostalis christianus factus esse die Iudaeorum festo, qui hebraicê dicitur *Schawuot*. Hac sollemnitate celebratur *Tora*, i.e. *Pentateuchus*, libri Moysis quinque, genti Israheliae patefacta. *Schawuot* significat *septimanas*; quod nomen spectat ad septem septimanas die quinquagesimo post sollemnitatem *Pessach* transactas. Iam ex hac numeratione more Iudaeorum traditâ derivatum est nomen graecum πεντηκοστή sc. ἡμέρα, ex quo exorta est vox theodisca *Pfingsten* (angl. *Pentecost*, fr. *Pentecôte*, hisp. *Pentecostés*, ital. *Pentecoste*, ngr. Πεντηκοστή). *Schawuot* simul est genus *vacunalium*, i.e. dies festus, quo gratiae aguntur pro messe factâ. Nam hōc die festo finitur messis frumenti tritici, quae incohata est die festo *Pessach*.

Pentecoste quid valeat in Novo Testamento

In Actorum Apostolorum capitulo altero narrantur ea, quae Hierosolymâ in urbe experti sunt discipuli Iesu Christi die festo *Schawuot*. Iidem enim discipuli congregati Spiritu Sancto sunt repleti:

ACTA APOSTOLORUM 2,1-4

Καὶ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς ἦσαν πάντες ὁμοῦ ἐπὶ τὸ αὐτό.	Et cum conplerentur dies pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco.
Καὶ ἐγένετο ἄφνω ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἦχος ὥσπερ φερομένης πνοῆς βιαίας καὶ ἐπλήρωσεν ὅλον τὸν οἶκον οὗ ἦσαν καθήμενοι.	Et factus est repente de caelo sonus tamquam advenientis spiritûs vehementis et replevit totam domum, ubi erant sedentes.
Καὶ ὤφθησαν αὐτοῖς διαμεριζόμεναι γλῶσσαι ὡσεὶ πυρὸς καὶ ἐκάθισεν ἐφ' ἓνα ἕκαστον αὐτῶν,	Et apparuerunt illis dispartitae linguae tamquam ignis seditque supra singulos eorum,
Καὶ ἐπλήσθησαν πάντες πνεύματος ἁγίου καὶ ἤρξαντο λαλεῖν ἑτέραις γλώσσαις καθὼς τὸ πνεῦμα ἐδίδου ἀποφθέγγεσθαι αὐτοῖς.	Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto et coeperunt loqui aliis linguis prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.

Festum Pentecostes est sollemnitas, quâ celebratur adventus Spiritûs Sancti, quem annuntiavit Iesus Christus, simulque temporis paschalis finitio sollemnis („Octava Dominica Paschalis“). Secundum fidem christianam – qualem Petrus homiliâ suâ pentecostali expressit – post paenitentiam sequitur baptisma in nomen Iesu Christi faciendum (AA 2,38).

Miraculum Pentecostale significatur facultas mirabilis, quâ secundum Acta Apostolorum discipuli Iesu locuti sunt linguis aliis et cognoverunt linguas alias. Hoc miraculum a theologis explicatur significare missionem ecclesiae, quâ eidem a Christo mandatum est, ut evangelium afferret omnibus hominibus cuiusvis linguae, gentis, nationis.

cfr MARCUS 16,15 Καὶ εἶπεν αὐτοῖς· πορευθέντες εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ κτίσει. *i.e. Latinê:* Et dixit eis: »Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae«.



PENTECOSTE
QUID SIT
QUAM BREVISSIME EXPLICAVIT
LEO LATINUS

CHRONOGRAMMA PENTECOSTALE

Eine weitere Etappe von Fest zu Fest auf dem Chronogrammatischen Jahresweg 2020 – herzlichst, Pe. Herbert Douteil, CSSp. – man möge einem Spiritaner die Überfülle verzeihen!!

Zum 31. Mai, dem **Pfingstsonntag**:



Egbert-Codex (980), Trier

**2020* Die penteCostes repLeti sVnt oMnes spirItV
sanCtItatis et pletatis et CoeperVnt LoqVI In VarIIs
LIngVIIs totIVs orbIs Verba sapientIae et**

eXhortationIs. – Am Pfingsttag sind alle vom Heiligen Geist der Heiligkeit und Frömmigkeit erfüllt worden und begannen in allen Sprachen des gesamten Erdkreises Worte der Weisheit und Ermahnung zu verkünden. – vgl. Apg 2,4.14

Peter Hahne

Si Pentecoste est Ecclesiae Natale – estne Corona eius mors?

Scripsit Peter Hahne, Latinê reddidit Leo Latinus

Die Dominicâ, d.31. m.Maii a.2020

Ecclesia Spiritûs Sancti expers neque iam habet solacium neque est sanae mentis². Nam Spiritus ille, qui Die Pentecostali vênit super homines, est merum solacium ipsum. Ergo non est mirandum, quod hodie neque solacium invenimus in re politicâ neque in ecclesiâ neque in societate.



EDEKA ponitur loco ipsius EKD!¹ Sufficiunt haec verba describenti mihi, quam triste hôc anno sit „Laetum Festum Pentecostale“. EKD, Ecclesia Germaniae Evangelica ipsâ Die Ecclesiae Natali (qualis fuit Pentecoste ante duo milia annorum) milionibus Germanorum egestate

² originaliter: „Kirche ohne Heiligen Geist ist nicht mehr ganz bei Trost.“ Locutio, q.e. „nicht mehr ganz bei Trost (solacium) sein“ valet i.q. non iam sanae mentis esse, insanire, delirare, mente captum esse.

¹ EDEKA (= “Einkaufsgenossenschaft der Kolonialwarenhändler”) est permagna negotiatio victualium, quae totâ in Germaniâ possidet multos supermercatûs. - EKD = „Evangelische Kirche in Deutschland“, i.e. Ecclesia Evangelico-Lutherana Germaniensis.

eruditionis vexatorum non explicat, quidnam hi dies festi valeant – nequaquam! – sed eadem Ecclesia magnâ cum pompâ publicat libellum manualementem, quo explicatur, *qualis sit sermo sexibus iustus*. Isti ecclesiastici nondum intellexerunt post errores coronarios omnino alias res sibi tractandas esse ac ideologias *gen(d)erismi* aut *climatomaniae Gretariae*.

At EDEKA negotiatio victualium emptoribus suis explicat, quidnam valeat hoc festum. Praeter illos cibos, quos commendat loco *bovis pentecostalis* (qui non est *expers facultatis alternativae*) et ad ientaculum pentecostale quam aptissimê praeparandum.



Ita vero, EDEKA negotiatio victualium – si credimus eius commendationem commercialem - non solum diligit victualia, eadem catena supermercatuum scit etiam, quid sit instrumentum vivendi et quomodo idem commendetur. Quod non est merx reicula vilissimê vendenda, sed cibus delicatissimus ad vitam servandam necessarius, qui quamvis Christiani paterentur persecutionem gravissimam, mundum circumcursavit victoriosissimê: Evangelium, inquam, Nuntius Bonus, Nuntius Salutaris. Operae pretium est bibliam vetustam domi depositam denuo sumere et legere priora capitula Actorum Apostolorum Novi Testamenti. Quicumque aliquatenus saltim scire vult, quis et quid cultum civilem Terrae Occidentalis et disciplinam moralem et eruditionem necnon iura nostra humana praeformaverit et excoluerit, is haec capitula praeterire non poterit.

Ah, quid dicam de Terrâ Occidentali! Secundum *Marxium* (non loquor de illo *Carolo*, sed de hōc *Reinhardo*, i.e. de cardinali) haec notio, quia homines excludit segregatve, est recusanda. Tempore mensis *ramadan* ecclesia nostra moderna mavult laudare, quod *islam* nunc

est in Germaniâ (quasi insania illa *Wulffiana* effectu ipsius morbi coronae denuo cerebris esset implantata). Oh quanta ista est irrisio milionum Christianorum qui in dictaturis islamicis perpessi sunt persecutionem et saevissimê sunt interfecti – unâ cum pastoribus et cardinalibus. Istaec omnia sunt damna collateralia „religionis pacis“, qualis seductoriê libenter appellari solet a ducibus ecclesiae. Qui aut nesciunt rem aut sunt stultiores quam ut intelligant.



Missa sacra est necessitas fundamentalis: Aperite ecclesias!

At nunc advenimus ad rem gravissimam, quâ appareat quid valeat ecclesia tempore pentecostali. Deus scilicet phrontisteria hominum variis instruxit supellectilibus. Nonnulli potius praeferunt supellectiles modestas. Magistratum religionis christianae status eruditorius est mirê egenus. Tantum stultitiae, quantum invenitur in ecclesiae hodiernae declarationibus officialibus et libellis manualibus, neque umquam inventum est in oppido *Abderae* neque *Schildae* neque in capite bovis pentecostalis – quo considerando revertimur ad Pentecosten et bovem EDEKAE. Obiter adnotem: Eruditione homines hodierni videntur potius molestari quam delectari. E.g. de histologio¹, c.t. *Tichys Einblick*, homines diiudicant, qui ne ullo sunt tirocinio

¹ ***histologion**, -ī n. *blog* (= *web-log*). cfr nomen neograecum. cfr ***histologista**, -ae m. *blogger*.

absoluto, sed decernunt, quid liceat divulgari in *Prosopobiblio*¹ et quid non.

In ecclesiâ quoque baburri scioli se omnia scire contendunt et consulere volunt et diiudicare, quasi sint omnium rerum peritissimi. Itaque non est mirandum, quod *Greta* nunc facta est virologa et invitatur ad fora viralia. Ecce sancta simplicitas apparens Die Trinitatis Memoriali! Necnon memento summae stultitiae tamquam morbo coronae cerebraali effectae: delegatio episcoporum germanica a.2016 Hierosolymis mesquitam in Monte Templi sitam visura deposuit crucem sui officialem. Quod fecit 500 metris iuxta Golgatham, ubi steterat crux historica.

Scilicet fieri non posse, ut principes ecclesiae explicent milionibus christianorum aliquid, quod ipsi non (iam) credunt. Nam ii, quibus historia biblica nativitatis Iesu Christi videtur esse pia fabula legenda, resurrectio et ascensio Christi fabella puerilis et Spiritus Sanctus nihil nisi *inflammatio animi sacra* (summâ ebrietate effecta, ut critici iam ante duo milia annorum sunt opinati!) - iidem quidnam habent causae, quâ populum doceant, quid valeant Natale Domini et Festum Paschale et Ascensio Domini et Pentecoste? Heus cari amici vectigalium ecclesiae cultorum, olim (!) saturorum, ita est: „*Sine Deo imus in tenebras, sed cum Deo in lucem!*”, ut ait *Prof. Manfredus Siebald* americanista Mogontiacensis.

Episcopi nostri, qui partim a re publicâ accipiunt mercedem, saepe (praesertim evangelico-lutherani) habent libros factionis socialisticae (SPD) *quiescentes*. At quid valet *quiescentes*? Illi male abutuntur muneribus suis et ambonibus, ut magnâ cum ostentatione diffundant cogitationes prasino-russatissimas factionis fragmentatae. At si ab ipsâ factione facti essent candidati, ne electi quidem essent. Praesertim episcopi non electi essent in Bavariâ, ubi insania eorum politica strepat maximê. Isti si essent factionis functionarii, pro palatio episcopali frequentarent officium operarium et veherentur modico curru transviario pro autocineto lautissimo atque sumptuosissimo.

¹ *Prosopobiblion*, -ī n. *Facebook*.

Dogma mortiferum

In crisi coronariâ gubernatio et media diurnaria ludendo amittunt civium confidentiam

Si Pentecoste est ecclesiae dies natalis, estne vîrus coronae eius mors? Communitati christianae valet verbum Iesu Christi, quod servatum est per saecula persecutionis coram historiâ mundanâ: *Et ego dico tibi quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam et portae inferi non praevalerunt adversum eam (MATTH.16,18)*. Nemo hanc fidem usque nunc extrinsecus potuit destruere, sed eadem nunc intrinsecus destruitur ab organisatione, quae appellatur ecclesia. Ecclesia enim postquam ipsa se fecit saecularem, nunc se facit marginalem. Quânam re evidentius demonstratur ecclesia se ipsam *nanificare*, id est nanam se facere nisi isto modo, quo eadem se gessit his septimanis ipsius crisis quae dicitur coronariae (quae reverâ est crisis dominantium pandemiam parum rectê tractantium)? Cum nonnullae paroeciae et parochi et aliquot milia fidelium sine salario honoris causâ operantium studerent laboriosissimê, ut evangelium ad homines afferrent remedium animarum fractarum et solitudinis et insulationis, ecclesiae praepositi functionarii censuram historicorum non superabunt.

Qui a primo die temporis coronarii debuerunt dicere: Nos systemati tanti valemus quam nosocomi et siphonarii, nos accipiemus probam valetudinis et vestimenta tutoria ad *parochos coronarios* aptos (cum curatoribus animarum militiae et necessitatis comparandos) et ibimus in gerontocomia. At pro eo, ut haec facerent, praepositi ecclesiae „*ecclesias concluderunt*“ (FAZ), „*auctoritatem amiserunt*“ (SZ), ut „*nihil iam valerent*“ (WELT). Ecclesiae praepositi hodie videntur malle navem profugorum baptizare in portu quam infantulum in ecclesiâ. Idem homines morientes reliquerunt solacii expertes et curâ animarum neglectâ praebuerunt frivola spectacula interretialia. Quasi paucis verbis tritis atque lapsantibus sub podio factis omnia fierent bona.

At nihil est bonum! Eo quod praepositi ecclesiae (non paroechiarum!) vera officia sua neglexerunt, innumeri homines desperaverunt. Interim accepi plus ducentas quinquaginta epistulas, quibus narrantur res tristissimae, quas lêgi animo commotissimo.

Ubinam nunc sunt ecclesiae, si agitur de „*heroibus crisis coronariae*“? De his auditur ne ulla quidem syllaba ex ecclesiasticorum oribus emissa. Quasi tales non exstent. In multis illis cancellariae conferentiis diurnariis ecclesiastici non apparuerunt nisi vocati erant expressis verbis. Quasi evanuisent ex orbe terrarum! Talia numquam facta essent sub episcopis, quales fuerunt *Volfgangus Huber* et *Iohannes Dyba*. Numquam!

Non egeo aliquâ ecclesiâ, quae mihi praescribat, quomodo purgamenta mea tractem et quomodo consumam fluentum electricum. Quidnam cogitare debeam de profugis et connubio homosexuali et ideologiâ generismi, et num *Greta* sit „nova Sancta“. Non egeo ecclesiâ, quae mihi explicet, quanta sint vectigalia divitibus imponenda et praescribat, quid faciam de islamo. Equidem exspecto ecclesiam denuo maximam vim attributuram esse foundationi ecclesiae et mandato divino: Spiritu Pentecostali magnus factus est Iesus Christus, nec ullâ re aliâ.

Qui Spiritus fuit spiritus veritatis. At nunc advenimus ad thema aliud, ad numeros Domini *Drosten*, virologi in aulâ Merkelianâ versantis, qui invitatur hospes emissionum televisionis aulicae celebratissimus. Quos numeros praepositi ecclesiae dominantibus se venditantes sine ullâ condicione, sanae mentis expertes secuti sunt tamquam caeci. Quamquam veritate solent oculi aperiri. At ecclesia Spiritûs Sancti expertis neque iam habet solacium neque est sanae mentis. Nam ille Spiritus, qui Die Pentecostali vênit super homines, est solacium ipsissimum. Itaque non mirum est, quod expertes sunt solacii res politica et ecclesia et societas. Itaque in Festum Pentecostes liceat equidem modestê vobis suadeam: Nolite commoveri a vîro covidiano 19 (undevicesimo), sed solacium accipite a Psalmo 91 (nonagesimo primo).

**PETRI HAHNE
PHILIPPICAM
PENTECOSTALEM
LATINE REDDIDIT
LEO LATINUS**

CHRONOGRAMMATA DEMMINGIANA

Zum 31. Mai 2020

CHRISTO VLADIMIROFF IAVACHEFF
ARTIFEX INSIGNIS IVGITER STRENVVS
PERTINAX NOVI EBORACI E VITA CESSIT

Christo Vladimiroff Javacheff, der berühmte, rastlos tätige Künstler mit dem langen Atem, ist in New York verstorben.

Zum 2. Juni 2020

MARCEL REICH RANICKI CELEBER CRITICVS
PVGNAE INVISVSQVE ACCEPTVSQVE ANTE
VIGINTI LVSTRA NATVS

HDF

MRR, berühmter streitlustiger Kritiker, verhasst und beliebt, wurde vor 100 Jahren geboren.

HDF

IMPERATOR QUALIA VESTIMENTA GESSERIT NOVA



Fabella a Iohanne Christiano Andersen scripta¹, a Leone Latino in Latinum conversa.

Multis annis ante vixit imperator, qui nova vestimenta gerendi cupiditate tam ingenti affectus erat, ut totam pecuniam suam erogaret, ne umquam esset parum ornatus. Qui imperator neque curabat milites suos neque curabat theatrum neque amabat in silvam vehi nisi volebat nova vestimenta monstrare. Eidem erant vestes singulis horis diei omnibus specialiter destinatae, nec aliter ac rex dicitur concilio praesidêre, de hîc homine solebat dici: »Imperator versatur in vestiario!«

Magna urbs, in quâ imperator habitabat, erat frequentatissima. Omni die multi peregrini adveniebant, necnon aliquo die venerunt duo

¹ orig. „Keiserens nye Klæder“, d.7. m.Apr. a.1837, in: „Eventyr fortalte for Børn“, i.e. Fabellae parvulis narratae. Usus sum hac versione theodisca, quae sequitur:
<http://www.zeno.org/Literatur/M/Andersen,+Hans+Christian/M%C3%A4rchensammlung/M%C3%A4rchen/Des+Kaisers+neue+Kleider>

fraudatores, qui se esse textores simulantes dixerunt se scire telas texere pulcherrimas omnium, quae possent excogitari. Harum telarum non solum colores picturamque textilem esse insolito pulchras, sed vestimenta, quae ex his telis consuerentur, eo esse mirabiliter insignia, quod a nullo homine conspicerentur, qui aut muneri suo parum aptus esset aut esset inexcusabiliter stultus.

»Babae!« imperator cogitavit, »taliam vestimenta mihi erunt decentissima; si talia habuero, invenire sciam, qui viri in regno meo ad munus, quo funguntur, parum apti sint, et sciam prudentes distinguere a stultis! Eia, istas telas facite ut statim mihi texatis!« Deinde imperator fraudatoribus multum dedit pecuniae, ut opus suum incoharent.

Iidem autem duobus iugis textoriis collocatis se operari simulabant, sed iugis imposuerant ne hilum quidem. Tamen postulabant sericum subtilissimum aurumque purissimum, sed eadem imponebant sacculis propriis et usque in multam noctem operabantur iugis vacuis.

Imperator autem cogitans »Ah nunc velim scire, quantum progressi sint in telis texendis!« animo erat quadamtenus gravi recordatus eum, qui stultus esset aut ad munus parum aptus, telas non posse videre. Credidit quidem sibi ipsi nihil esse timendum, tamen primo voluit emittere alium, qui videret, quidnam fieret de rebus texendis. Omnes homines totam in urbe cum scirent, quantam vim extraordinariam istae telae haberent, vehementer cupiebant scire, quam inepti quamve stulti essent vicini sui.

Tum imperator cogitavit: »Ah vetulum ministrum meum sincerum mittam ad textores. Qui optimè scit iudicare, quantum valeat tela, nam eo nemo prudentius munere fungatur!«

Nunc vetus minister bonus oecum intravit, ubi sedebant duo fraudatores iugis textoriis vacuis operantes. »Deus nos servet!« vetus minister cogitavit oculis raptim apertis. »Nihil video!« At hoc non dixit.

Ambo fraudatores eum rogaverunt, ut propius accederet, et e ministro quaesiverunt, nonne bella esset pictura textilis, nonne pulchri essent

colores. Deinde digitis cum monstravissent vacuum iugum textorium, vetulus minister miserrimus denuo oculos raptim aperuit, sed nihil vidit, nam nihil adfuit. »O Domine Deus,« cogitavit, »num ego verê sum stultus? Hoc numquam credidi neque hoc licet scire ulli homini! Num ego parum aptus sum ad munus meum? Non decet, non oportet, ut confitear me non videre telam!«

»Heus Domine, nihil dicis?« unus ex textoribus rogavit.

»O, haec est nitidula, perquam bellula!« minister vetulus respondit perspicillum suum perspicuens. »Ecce pulcherrimam hanc picturam textilem! Ecce hos colores ! – Eia, imperatori dicam hanc telam mihi perplacere!«

»Quod tibi placet, gaudemus nosmet ipsi!« ambo textores responderunt. Deinde colores nominibus appellaverunt necnon textilem picturam explicaverunt mirabilem. Minister vetulus animum bene attendit, ut eadem verba sciret dicere ad imperatorem reversus, necnon eadem dixit.

Nunc fraudatores postulaverunt plus pecuniae, plus serici, plus auri, quibus ad texendum uterentur. At reverâ haec omnia infarserunt sacculis suis, iugis textoriis imposuerunt ne hilum quidem, sed perrexerunt, ut iam antea, operari iugis vacuis.

Imperator mox iterum probum ministrum publicum illuc misit, ut videret, quid de texendo fieret et quando panni perficerentur; ei autem ministro nil aliud accidit quam primo: alter quoque videbat et videbat, sed quia praeter iugum textorium nihil adfuit, praeter id vidit nihil.

»Nonne haec tela est verê bella?« fraudatores rogaverunt picturamque textilem monstrantes explicaverunt magnificam, quae omnino non adesset.

»Stultus non sum,« vir cogitavit; »ergo ad bonum munus meum non aptus sum! Hoc satis mirum est, sed hoc oportet ne quis animadvertat!« Itaque telam laudavit, quam non viderit, illisque affirmavit, quanto gaudio afficeretur colorum pulchritudine

picturaeque magnificentiâ. »Verum, illa tela est bellissima!« dixit imperatori.

In urbe omnes homines loquebantur de telis illis magnificentissimis. Nunc imperator easdem voluit spectare ipsissimus, dum adhuc erant in iugis textoriis. Multis viris electis comitantibus, quibus intererant etiam illi duo viri politici sinceri, qui iam antea ibi adfuerant, rex adiit illos duos fraudatores vaferrimos, qui nunc texebant summis viribus, sed neque hilo neque filo.

Viri politici illi sinceri: »Ehodom« inquit, »nonne haec tela est magnifica? Maiestas Tua Aeterna nonne vult videre, quam pulchra sit pictura textilis, colores quam sint magnifici?« digitis monstrantes iugum textorium vacuum, nam crediderunt alios posse pannum videre.

»Quid!« imperator cogitavit; »ego video omnino nihil! Istud quidem est terribile! Sumne stultus? Num parum aptus sum ad munus meum imperiale? Istud quidem si verum est, rerum quae mihi accidere possunt est omnium maxime terribilis«. Itaque imperator: »O« inquit »bellissima est: ei applaudo quam vehementissimê!« vultuque placido annuens aspectavit iugum textorium vacuum; nam noluit dicere se videre nihil. Omnes comites, quos imperator secum adduxerat, videbant et videbant, sed quamvis non plura conspicerent quam illi omnes ceteri, tamen imperatori dixerunt: »O, haec tela quam bella est!« eidemque suaserunt, ut nova vestimenta magnifica primum gereret magno die festo, qui mox futurus esset. »Haec tela est magnifica, nitida, excellentissima« unus dicebat alteri et omnes videbantur esse animis laetissimis. Imperator autem utrique fraudatori attribuit crucem equitis, ut pendêret e foramine botonis necnon titulum textoris aulici.

Fraudatores per totam noctem, quae fuit ante mâne diei festi, plus sedecim candelis accensis vigilaverunt, ut homines viderent se esse occupatissimos labore vestimenta imperatoris nova perficiendi. Textores simulabant se telas ex iugis eximere, in âere secabant magnis forficibus, suebant acibus filorum expertibus, denique dixerunt: »Ecce, nunc vestimenta sunt perfecta!«

Imperator autem ipse vênit unâ cum magistratibus suis supremis. Tum uterque fraudator altero bracchio sublato, quasi aliquid teneret: »Videte, hîc sunt bracae! Hîc est vestis! Hîc est amiculum!« et quae sequuntur. »Haec tela est levior quam illa aranearum; licet credas nihil esse corpori tuo impositum, sed hîc ipso efficitur pulchritudo!«

»Ita est!« omnes magistratûs dixerunt, quamquam nihil viderunt, nam nihil adfuit.

Fraudatores: »Libetne Aeternae Maiestati Tuae Imperiali« inquit, »vestimenta deponere, ut hîc ante speculum magnum induamus Tibi nova!«

Imperator vestimenta sua deposuit, et fraudatores simulaverunt se illi induere singula vestimenta nova, quae consuendo essent perfecta, et imperator ante speculum corpus suum vertebat atque torquebat.

Omnes: »Eia« inquit, »quam bene decent, quam magnificê quadrat!« . »Quam pulchra pictura! Quales colores! En synthesin pretiosissimam!« –

Tum magister caerimoniarum supremus nuntiavit: »Foris ministri stant conopeum throni² tenentes, quod gestandum erit supra Aeternam Maiestatem Tuam!«.

Imperator autem dixit: »Videte, iam paratus sum!« . »Nonne bene quadrat?« et deinde denuo se vertit ad speculum; nam voluit se videri vestimenta sua rectê aspectare.

Camerarii autem, quorum erat syrma³ gestare, manûs erexerunt versus pavimentum, quasi tollerent syrma, prodierunt simulantes se aliquid in âere tenêre; nam non ausi sunt patefacere se videre nihil.

Itaque imperator incedebat sub conopeo throni magnifico, et omnes homines in viis et fenestris dicebant: »Vestimenta imperatoris o quam sunt incomparabilia! Ecce quale sit syrma vesti affixum! Quam

² conopeum throni theod. *Thronhimmel, Baldachin*.

³ syrma, -atis n. theod. *Schleife*.

pulchrê id quadrat!« Nemo patefecit se videre nihil; nam si hoc patefecisset, manifestum fuisset se non aptum esse ad munus suum aut se esse stultissimum. Nullis vestimentis imperatoris tantum felicitatis effectum erat quam iis.

Tandem dixit puer parvulus: »At iste vestimentum gerit nullum!« Tum pater eius: »Audite« inquit »vocem innocentiae!«; et unus alii insusurrabat, quid puer dixisset.


Denique omnis populus vocavit unanimiter: »At iste vestimentum gerit nullum!«. Tum animus imperatoris commotus est, cui populus visus sit rectê sentire, sed secum cogitavit: »Nunc perfer et obdura!«. Et camerarii ibant et gestabant syrma, quod omnino deerat.



**FABULAM ANDERSENIANAM
IN LATINUM CONVERTIT**

LEO LATINUS

DR. VOLFGANGUS WODARG



ECCE DOCTOR VOLFGANGUS WODARG

REVELATOR SCANDALI INFLUENTIAE PORCARIAE

NECNON FURORIS CORONARII

OPTIME MERITUS PESSIME DIFFAMATUS

»Multae tribulationes IUSTI et ex omnibus illis liberabit eum DOMINUS«

VULGATA Psalmus 34,20

DOCTOR VOLFGANGUS WODARG

QUID SENTIAT DE TIMORE PANICO CORONARIO

https://www.youtube.com/watch?v=p_AyuhbnPOI

Stunning insights into the Corona-panic by **Dr. WOLFGANG WODARG**

»Narraturus sum aliquid de epidemiâ vîri coronarii, quam nos habere dicimur. Primo autem cogitaveram istam hyperbolen mox transactum iri. Sed interim res tam vehementer exaggerata est, ut cogitarem necessarium esse, ut de eâdem accuratius deliberarem.

Fui medicus officialis, moderatus sum officio valetudinis, habui propriam epidemioscopiam¹, proprium systema monitorium morborum influentialium et quotannis in meo compartimento, quod inhabitaverunt 150.000 (centum quinquaginta milia) hominum, observabam, quot homines in morbum inciderent. Quotannis habemus ubique terrarum semper nova vîra, quia vîra necessario mutantur. Si eadem vîra iterum venirent, a systemate nostro immunitatis cognoscerentur, id est nos non in morbum incideremus, quia vîra non possent prolem suam propagare, sed vîra semper ad prolem propagandam sunt inclinata. Itaque necesse est vîra semper aliquatenus multiplicari et quotannis habemus novas vîrorum variationes. Sunt autem circiter centum genera vîrorum, quae continuo mutantur. Sic solet fieri. Usque nunc vix curavimus, quonam genere vîrorum talis influenza sive perfrictio sive morbus viae respiratoriae

¹ orig. „Sentinel“. https://www.rki.de/DE/Content/Infekt/Sentinel/sentinel_node.html: „Sentinelerhebungen sind ein aktives, auf freiwilliger Mitarbeit der beteiligten Akteure aufbauendes Werkzeug der Surveillance. Kontinuierlich oder periodisch wiederkehrend werden epidemiologisch relevante Daten quasi als Nebenprodukt innerhalb der gesundheitlichen Vorsorge oder Versorgung erfaßt mit dem Ziel, epidemische Entwicklungen spezifischer Krankheitsfelder in einer Teil-Bevölkerung bzw. der Bevölkerung insgesamt zu ermitteln“. in englisch: **Sentinel Surveillance**. - <https://www.etymonline.com/word/sentinel>: „1570s, from Middle French sentinelle (16c.), from Italian sentinella "a sentinel." OED says "No convincing etymology of the It. word has been proposed," but perhaps (via a notion of "perceive, watch"), from sentire "to hear," from Latin sentire "feel, perceive by the senses" (see [sense](#) (n.))." – angl. sentinel = theod. "Wachposten, Wächter". – Confindere ausim novum vocabulum: *epidemioscopia,-ae f.

efficeretur. At factae sunt investigationes scientificae talium viro-
 perbonae per complures annos Glascuae in urbe Scotiae. Ibidem
 scientistae probationibus, quae aptae sunt ad certa vîrorum genera
 cognoscenda et distinguenda (nondum ad omnia genera cognoscenda
 exstant probationes aptae) in perfrictionibus perscrutandis invenerunt
 octo fere genera vîrorum, inter quae semper fuerunt vîra coronaria. En
 aspiciate diagramma. Glascuenses investigatores spatio, quod fuit ab
 a.2005 usque ad a.2013, viderunt, qualia vîra invenirentur in morbis
 viae respiratoriae investigandis. Spectate has columnas coloratas, quae
 spectant ad singula genera vîrorum. Columnae autem virides spectant
 ad vîra coronaria quotannis inventa. Quae semper habuerunt
 portionem, quae fuit inter 5-14% (quinas et quartenas denas partes
 centesimas). Ergo nil novi est inter vîra perfrictionis semper esse
 magnam portionem vîrorum coronae. Quid nunc factum est? In
Wuhan urbe Sinica est laboratorium securitatis vîrale totius Chinae
 maximum, i.e., ibi multi sunt specialistae, sunt homines, qui per totum
 diem nihil curant nisi tales res vîrales, necnon ibi habent in illâ urbe
 permagnâ, quae habet 11 miliones incolarum, magna nosocomia,
 magnas stationes intensivas, ubi semper sunt aegroti, qui laborent
 pneumonitide, i.e. inflammatione pulmonum, verisimile est aliquot
 centum homines huiusmodi. Illi vîrologi in paucis aegrotis, nescio an
 quinquaginta paucioribus, haec vîra perscrutati in laboratorio
 perquisiverunt eorum acidum ribonucleinicum et invenerunt novum
 genus vîri coronarii. Si qui vîrologus novum genus vîri invênit, eius
 notas speciales indere solet magnae datothecae, quae in omnibus
 institutis vîrologicis est accessibilis, e.g. etiam Berolinensi. Deinde
 Berolinenses genoma huius viri cum aliorum genomatibus
 comparaverunt et conati sunt probam invenire, quâ novum hoc genus
 vîrorum indicaretur. Exstat autem protocollum a Domino *Drosten*
 Organisationi Valetudinis Mundanae (WHO) oblatum, quo describitur
 talis proba, quae deinde permissa est valdê celeriter. Talis proba quia
 est productum medicinale, oportet validetur¹, i.e. quam accuratissimê
 perquiratur, quidnam hac probâ cognoscatur et demonstretur. At haec
 proba nonnisi intra laboratorium Berolinense erat perquisita. Tamen,
 quia nulla proba satis comprobata exstitit, et terror panicus coronarius
 iam erat exortus, dictum est: *‘Bene, hac probâ ubique utamur!’* Itaque
 Dominus *Drosten* eandem probam obtulit adhibendam. Scilicet

¹ *validō, -āre theod. *validieren*

vîrologum nescire, utrum tale virus sit periculosum necne. Vîrologus nihil scit dicere nisi: ‘Hoc vîrus est alîus generis ac illud, tale est, huius vîri cognoscendi probam habemus, illius non habemus’. Sed si quis quaerit: ‘*Estne hoc vîrus periculosum, Domine Drosten?*’ – unde is vir hoc vult cognoscere? Hoc cognoscere non potest nisi datis valoribus epidemiologicis, i.e., si observatur, quam aegroti sint homines, quam celeriter reconvalescant, moriantur plures quam prius. Ergo hîc permagni momenti est ad rem diiudicandam adhibere valores priorum annorum datos efficientiae et mortalitatis et cum praesentibus comparare. Quot homines mortui sunt morbis vîralibus? Nunc si quod vîrus quaero, in totâ populatione, verisimile est me portionem inventurum esse ferê denarum partium centesimarum, quae constat ex vîris coronae, quae aliquantulum hominem facit aegrotum aut aliquantulo plus. At si in praxes medicorum iniero, et videro, quot homines talibus vîris sint affecti, scilicet inveniam multo plures homines, quorum proba evadit positiva. Deinde autem, si nosocomium inieris aegrotosque probaveris probâ, etiam plures homines vîro coronae infectos. Ergo si varios greges populationis perquisivero sive homines communes sive aegrotos in conclavi praestolatorio medici versantes sive aegrotissimos in nosocomii statione intensivâ morituros, semper inveniam portionem vîrorum coronae, quae est inter 7-10% (septenas et denas centesimas partes).


At his observatis nondum dicere scio, utrum aegroti iisdem an aliis vîis sint morituri. Nunc si audio in Italiâ mori omnes morbo coronae affectos (“*Oh! Omnes illi moriuntur!*”), velim scire, ubinam probae sint factae et quibus in aegrotis. Illae probae, quae praesto sunt: Ubinam sunt adhibitae? Si adhibitae sunt in nosocomio, in hominibus gravissimê aegrotis, in morituris, scilicet portio mortalitatis coronariae augeri; sed hoc non convenit cum mortalitate populationis communi.

Quaerendum est, quanta sit mortalitas morbi specifica, id est, si homines certo morbo laborent, quot partes centesimae hominum hîc morbo sint moriturae. At morbus viae respiratoriae acutus et temporalis, quae influenza appellatur, solet habere mortalitatem unius partis millesimae, id est ex mille hominibus unus moritur omni hieme.

Nunc nobis videndum est, num plures moriantur effectu vîrorum coronae. Hoc autem sic fieri potest: Si e.g. in Germaniâ viginti milia aut triginta milia hominum plura moriuntur quam solent mori sine influentiâ: haec res dicitur *supermortalitas*. Scimus autem vîra coronae portionem habere, quae sit inter 7-14% (septenas et quaternas denas centesimas partes) – dicamus 10% (denas centesimas), ut commodius possimus calculare. Supponamus nos his annis decem praeteritis in nosocomio perquisivisse homines aegrotissimos probâ vîrorum coronae usos. Scilicet hoc non reverâ factum esse. Sed si hoc fecissemus, necesse fuisset nos probâ usos omni anno inter eos aegrotos, qui mortui essent morbis viae respiratoriae, semper invenisse circiter duo aut tria milia aegrotorum vîris coronae affectorum. At a tanto numero hominum coronâ mortuorum usque nunc procul absumus. Apparet igitur vîrologos hîc fecisse aliquid extraordinarium. Hac autem re extraordinariâ gubernationis sinicae stuporem effecerunt valdê magnum. Nam eadem hanc rem verbis vehementissimê exaggeravit. Sed hoc subito ratione vîrologicâ relictâ multum valuit ad rem politicam. Subito in omnibus Sinarum aëriportibus positi sunt aparatûs faciei cognoscendae, febris mensurabatur, thermometro febris commeatus vehiculorum Sinensis dirigebatur. Scilicet hanc rem tam gravem fuisse, ut effectum haberet internationalem. Itaque politici etiam extra Chinam debuerunt hanc rem curare et explicare, quid facturi essent. Cum autem accepissent hanc rem inventam esse a vîrologis, quaesivissent ex propriis vîrologis, quidnam faciendum esset de isto viro coronae. Vîrologi autem occidentales etiam dixerunt hanc rem esse gravem, se scire probam facere, se posse politicos adjuvare, ut rem tam accuratê perspicerent quam Sinenses. Itaque quodammodo tela est texta, tela informationum, opinionum, facta est in his circulis scientistarum, et politici se converterunt ad hos circulos scientistarum, qui coeperant rem tractare, et politici hac telâ induti se moverunt per eandem. Inde autem secutum est, ut politici quoque argumentis vîrologicis usi ad publicum prodeuntes dicerent, quis esset adjuvandus, quae remedia sint necessaria, quid sit interdicendum, cui quarantena sit subeunda. Hae res omnes inde derivatae sunt. Itaque nunc perdifficile est ratione criticâ ûti et dicere: “Sistite, hîc nihil factum est extraordinarium.”

Hac autem re commoneor fabellae illius, quâ narratur de rēge nullis vestimentis induto. In hac fabellâ nemo nisi puerulus quidam audet dicere: *“At iste nudus est!”*, ceteri, i.e. adultores aulici, qui ambire solent gubernantes, quos gubernatio adit, ut sibi consulant, quia gubernatio ipsa nihil scit de re, non sunt rei verê periti. Eodem modo nunc quoque gubernationi adulantur multi scientistae, qui valere velint ad rem politicam, quia pecuniâ egent pro institutis suis scientificis. Qui sunt scientistae, qui natant unâ cum aliis per istud flumen aulicae ambitionis et qui etiam volunt aliquantum favoris atque pecuniae accipere. Permulti sunt, qui dicant: *“Nos quoque scimus adiuvere! Nos habemus applicationem et programma datorum, nos scimus hoc facere...”* Permulti sunt, qui dicant: *«En nos adsumus adiuturi...!»* Ergo ii quoque volunt lucrum accipere, volunt fieri hac re clariores.

At deest aliquis ratione ieiunâ usus qui dicat: “Indenam vos cognovistis hoc vîrus esse periculosum? Quid antea factum est? Nonne anno proximo praeterito similis fuit status rerum? Verumne istaec res est nova?” Talis homo deest. Verê autem sic est: **REX EST NUDUS!**«



<https://soundcloud.com/radiomuenchen/covid-19-test-testet-alle-corona-viren-dr-wolfgang-wodarg> **Radio München 27.03.2020**

Covid 19 - Test ist unspezifisch - Dr. Wolfgang Wodarg

https://www.youtube.com/watch?v=p_AyuhbnPOI

Stunning insights into the Corona-panic by Dr. Wolfgang Wodarg.

https://www.youtube.com/watch?v=N-Bz5X9M5aA&feature=emb_rel_end

RUBIKON: Im Gespräch: „Der Corona-Rebell“ (Wolfgang Wodarg und Jens Lehrich)

74.058 Aufrufe •23.03.2020

<https://www.youtube.com/watch?v=hW4qzAPP5pU>

Lungenfacharzt Wolfgang Wodarg spricht jetzt LIVE über die Auswirkungen des Corona Virus Frontal21

<https://www.youtube.com/watch?v=Dk8wqJbNhq0>

Krieg gegen die Bürger: Coronavirus ein Riesenfake? Eva Herman im Gespräch mit Dr. Wolfgang Wodarg

1.334.840 Aufrufe •17.03.2020

https://www.youtube.com/watch?v=ro730Sk_pN0

Am Telefon zur Corona-Krise: Dr. Wolfgang Wodarg

297.968 Aufrufe •17.03.2020

<https://www.youtube.com/watch?v=RSR4tORSaEE>

Tagesdosis 18.3.2020 - Der Corona-Pandemie-Wahn: Wer bin Ich in einer traumatisierten Gesellschaft?

128.417 Aufrufe •18.03.2020

<https://www.youtube.com/watch?v=WhJB8xjaSrw>

Lungenfacharzt und Ex-MdB Dr. Wolfgang Wodarg sagt: es gibt keine Corona-Virus-Pandemie!

470.483 Aufrufe •15.03.2020

<https://www.wodarg.com/>

DE SCANDALO INFLUENTIAE PORCARIAE QUOD FUIT SCANDALO CORONAE HAUD ABSIMILE A VOLFGANGO WODARG REVELATO



<https://www.youtube.com/watch?v=8VPiVADyJPM>

<https://www.youtube.com/watch?v=1--c2SBYIMY>

cfr ARTE Dokumentation 2009: „Profiteure der Angst – das Geschäft mit der Schweinegrippe“ 415.251 Aufrufe • 30.03.2020

LUCRATOIRES PAVORIS <https://www.youtube.com/watch?v=MGgSYQLZjsI>

PROFITEURS DE LA PEUR <https://covidinfos.net/covid19/le-documentaire-arte-de-2009-profiteurs-de-la-peur-un-virus-fait-debat-nous-dit-tout-sur-la-crise-daujourd'hui/75/>

<https://covidinfos.net/covid19/la-grande-majorite-des-gens-meme-les-groupes-a-plus-haut-risque-ne-mourront-pas-selon-lepidemiologiste-en-chef-du-royaume-uni/1052/> d.11.m.Maii 2020

Lisa Fitz: Profiteure der Angst | SWR Spätschicht 216.798 Aufrufe • 13.05.2020
„Es ist schwerer jemanden hinteres Licht zu führen, wenn es ihm einmal aufgegangen ist“.

QUIDNAM ILLO TEMPORE FACTUM EST DE INFLUENTIA PORCARIA?

<https://www.youtube.com/watch?v=8VPiVADyJPM>

LL (Leon Lovelock): Ut auditores intellegant: Non solum fuisti medicus officialis, sed etiam in rebus politicis versatus es, cum in ceteris tum etiam in pandemiâ H1N1 a.2009-2010 tractandâ, in parlamento Europaeo et in Conventu Legatorum Foederali. De hac re velim, quaeso, nobis aliquid...

WW (Wolfgang Wodarg): Non in Parlamento Europaeo fui, sed in Consilio.

LL: Ah, hoc est Consilium Europaeum...

WW: Nunc recte dicis, agitur de Consilio Europaeo. Eidem autem insunt delegationes nationales. Spectant ad idem multo plures nationes quam ad Parlamentum Europaeum, in Unione Europaeo non sunt tot civitates, sed in Consilio Europaeo sunt viginti civitates plures quam in Parlamento. Inest Russia, inest Turcia, etiam Atropatene¹, insunt permultae civitates, quae non sunt participes Unionis Europaeae, insunt civitates balcanicae, et semper adsunt delegationes nationales. Equidem illo tempore congregationi Consilii Europaei interfui locutor vicarius et praeses commissionis. Ibidem autem undecim annis ante animadverti nobis inici ingentem timorem illius influentiae porcariae. Et omnes cogitare miliones homines istâ influentiâ infectos morituros esse. Istam esse perquam periculosam. Illo tempore in Mexico – tum non in Chinâ, sed in Mexico – omnes ferè homines ambulabant faciebus circumvelatis et siphonibus adhibitis ferè omnia studebant disinficere² – illo tempore in Mexico spectacula acta sunt perquam similia eis, qua nunc modo facta sunt in *Wuhan* provinciâ Sinicâ. Cum autem omnes timerent, gubernatio germanica emit a *Novartis* et *GlaxoSmithKline* negotiationibus pharmaceuticis tantum vaccini, quantum sufficeret ad quinquaginta miliones Germanorum vaccinandos. Antea autem eadem foedera pepigerat cum ambabus

¹**Atropatēnē**, -ēs f. i.q. theod. *Aserbaidshan*; angl. *Azerbaijan*; fr. *Azerbaïdjan*; hisp. *Azerbaiján*; ital. *Azerbaigian* [PLIN.nat. 6,42. - cfr [https://www.wikiwand.com/la/Atropatene_\(res_publica\)](https://www.wikiwand.com/la/Atropatene_(res_publica)): "...*Azərbaycan* ex antiqua "Atropatene" deducitur. Id nomen commemorat Atropaten, satrapam Imperii Persarum Achaemenidarum, qui serius Mediae satrapes sub Alexandro Magno fuit."]

² ***disinfiō**, disinficere theod. *desinfizieren*. cfr Index Lectionum Universitatis Bonnensis 1888/89, p.6: *disinfiens, -ntis *desinfizierend*.

negotiationibus dicens: „Si quae pandemia venerit, oportet vos pro nobis quam celerrimè fabricetis vaccinum.“ Ergo gubernatio voluit esse semper prompta praeparataque ad pandemiam vaccino impugnandam (qualis status dictus est *pandemic-preparedness*). Utraque negotiatio primo iam accepit nonnullos miliones – a Dominâ Merkel iam illo tempore – decem accepit *Novartis*, decem *Glaxo*. Deinde eadem negotiationes aedificaverunt fabricam vaccini, ut se praepararent. At deinde nulla vênit pandemia. Nihil pandemiae advênit. Omnis influenza quotannis eveniebat et abibat – semper.

LL: Ergo utraque negotiatio pharmaceutica lucrum acceperunt enorme, sed –

WW: Utraque foedus cum civitatibus pepigerat his ferè verbis: ‚*Si quae pandemia venerit, vaccinum fabricabimus, sed vos debetis vaccinum nostrum accipere.*’ Necnon in foederibus secretis convênit, ut Organisatio Valetudinis Mundana (WHO) diiudicaret, utrum aliqui morbus contagiosus esset pandemia necne. Si autem haec organisatio declararet gradum morbi sextum, îdem morbus esset pandemia et foedera ad effectum adductum iri. Deinde Germaniam debere -

LL: Quenam condiciones oportet valeant, ut gradus morbi contagiosi declaretur sextus, id est pandemia?

WW: Antea, id est illo tempore, quo fueram medicus officialis, fuerant etiam praecepta pandemiae declarandae. At illo tempore pandemia definita erat notione morbi contagiosi ubique terrarum saevientis, cui sanando mitigandove imparia atque inhabilia sunt omnia instituta atque instrumenta medicinalia. Quo permulti homines moriuntur aut in morbum incidunt gravissimum. Secundum illam definitionem vetustiore pandemia est lues tam vehemens quam fuerunt illae pestilentiae, quae eruperunt medio aevo et novâ aetate ineunte. Pandemia sensu illo vetustiore est calamitas medicinae summa, cuius effectu nosocomia aegrotis superabundant. Omnis homo per vias ambulans animadvertit talem pandemiam esse eruptam.

Influentia porcaria cum annuntiaretur erupta esse, nobis etiam persuaserunt, ut crederemus factum iri summam calamitatem – at non facta est. Itaque Organisatio Valetudinis Mundana subito mutavit definitionem notionis, quae fuit pandemia. Nunc enim dixerunt: ‚*Si quod vîrus est, quod non fuit antea, et si idem vîrus perceleriter diffunditur per orbem terrarum, morbis hoc vîro effectus dicitur*

pandemia.' At haec nova definitio fuit absurdissima. Equidem mihi hoc audiens paene concidi – nam talis morbus contagiosus est omnino nihil extraordinarii, talis fit quotannis!

LL: Ergo novâ definitione pandemiae condiciones necessariae sunt quodammodo deminutae?

WW: Quae vehementer sunt deminutae. Itaque nunc omni tempore pandemia potest declarari. Proximo anno futuro, secundo anno a proximo, eqs. Nam quotannis oriuntur nova vîra, quibus morbus efficiatur contagiosus.

LL: Ut iterum hanc rem attingam: quonam munere functus es illo tempore, quo vîrus H1N1 dictum est eruptum esse?

WW: Equidem illo tempore officialiter petivi, ut institueretur commissio inquisitoria, quâ inquireretur, num quis in Organisatione Valetudinis Mundanâ corruptus esset. Quisnam de hac re diudicavisset et quis isti rei subfuisset? Quonam modo decreta esset res tam stulta et sumptuosa, qua homines tam vehementer essent territi?

LL: Quonam modo illi responderunt?

WW: Commissio inquisitoria est condita. Quae operata est! Ego autem eandem petiveram et fui unus ex illis, qui eam praeparaverunt atque dispensaverunt. Deinde autem a.2009 facta est electio Conventûs Legatorum Foederalis, sed ego non iam sum electus. Nam habui locum indicis valdê malum. Itaque eligi non poteram nisi directê. Et SPD (Pars politica sociali-democratica) - fui enim eius delegatus – illo tempore repulsam tulit vehementissimam. Itaque non iam electus non iam particeps fui Conventûs Foederalis. Pars mea politica non curavit, ut possem ibi operari.

LL: Excusa, quod sermonem tuum interrumpo – estne hodie etiam talis commissio inquisitoria?

WW: Nondum! Bonum esset, si talem iterum haberemus! Nam talis est perquam necessarius. Illo autem tempore convênit inter me et delegatum Anglum, ut is pergeret hanc rem tractare. Ego autem illum rei peritus adiuvi, ille hanc rem ratione politicâ tractavit. Itaque profecto commissio perrexit in rem inquirere et invênit Organisationem Valetudinis Mundanam definitionem illam mutavisse et foedus vaccini emendi pepigisse vi atque effectum permultorum lobiariorum industriae pharmaceuticae. Ergo Organisatio Valetudinis Mundana iam illo tempore erat corrupta a negotiationibus

pharmaceuticis atque sponsoribus qualis est Fundatio Gatesiana eqs. Istaec res est tristis. Et ex illo tempore semper semperque monebam: *»Si habemus Organisationem Valetudinis Mundanam, quae oportet foveatur a civitatibus earumque vectigalibus, sed reverâ obnoxia est industriae pharmaceuticae, clare patet istam organisationem esse corruptam! Nam si ita est, eadem non potest quin faciat id quod iubeatur a pecuniarum donatoribus! Ergo nisi id effecerimus ut Organisationem Valetudinis Mundanam foveamus non pecuniâ nisi publicâ, graviter hoc luemus«.*

VOLFGANGUS WODARG QUID DIXERIT AD MANIFESTATORES STUTGARDIENSES ADHORTANDOS



<https://www.youtube.com/watch?v=ufAw0BUuaz8>

Wolfgang Wodarg - Videobeitrag auf der 8. Mahnwache für das Grundgesetz in Stuttgart

65.833 Aufrufe • 17.05.2020

Heus cari homines Stutgardenses,

pulchrum est, quod vos tam multi estis et pulchrum, quod hodie iterum congregati estis, ut studeretis libertati rectaeque rationi recuperandae necnon isti generali quarantenaе absurdaе tandem finiendae.

Gratias vobis ago plurimas! Nomen meum est *Volfgangus Wodarg*. Ex illo tempore, quo iste furor coepit, stupefactus curavi, ut hominibus explicarem, quale esset hoc vîrus et quidnam de eo factum esset. Nam rei peritus sim, cum per longum tempus munere functus sim medici

officialis, id est saepe pugnavi contra morbos contagiosos. Tales autem morbi iam diu sunt. Semper autem animadvertebam homines, si iisdem rem explicavissem iisdemque rem intellexissent utilem esse, valdê paratos esse eos ad cooperandum et ad multas res faciendas, etsi libertas eorum iisdem rebus aliquatenus restringeretur.

At id quod nunc experimur fieri, multo absurdus et insanius est quam ut antea umquam animo finxerim! Habemus – si aspicitis numeros ab *Instituto Roberti Koch* publicatos – numeros a bonis scientistis inventos – qui quotannis quaeruntur – ad quos inveniendos investigant quam subtilissimê: Qualia vîra veniunt, qualia inveniuntur? Cum hi numeri colligantur in praxibus medicorum semper iisdem, comparari possunt cum numeris annorum priorum. At hîc anno nihil novi invenitur – nam non sunt plures morbi viae respiratoriae quam annis prioribus. Dicitur morbus covidianus effici infectione viae respiratione. Quod rectum est: vîris coronae efficiuntur perfrictiones, tussis, dolores gutturis, destillatio narium, et interdum – per aliquantum temporis – est etiam defectus olfactorius. Vîra coronae omni anno etiam aderant in casibus perfrictionis. Quae numquam personam magni momenti gesserunt neque gerunt hîc anno, immo tantulum valebant, ut ab observatoribus Instituti Roberti Koch eius praesentia in scidulâ non indicaretur. Vîra coronae non indicabantur. Quia investigatores sciebant ea non esse periculosissima. Vîra enim *influenzae* (sic!) sunt periculosiora – et haec quoque semper inveniuntur in morbis viae respiratoriae contagiosis perscrutandis.

At quid nunc est novum? Nihil est novum nisi probatio¹ ista, quae facta est postquam in urbe *Wuhan* Sinenses subito clamôsê petiverunt probationem novi vîri cognoscendi – quae petitio clamosa mihi quidem visa est quadamtenus actio fabulae theatrae. Itaque Berolini a Domino Drosten eiusque grege fabricata est proba ista coronaria, quae nunc milionesies venditur in totum orbem terrarum – nihil nisi ista proba coronaria est res nova. Istaec autem proba persaepe evadit positiva – quae est positiva in hominibus validis et in aegrotis necnon in morientibus. At notate bene: Homines reconvaescunt et homines mortui sunt – etiam sine hac probâ. Neque in Germaniâ plures mortui

¹ **probatiō**, -ōnis f. sive brevius **proba**, -ae f. denominetur i.q. anglicê et theodiscê dicitur *test*.

sunt neque pauciores, ex quo habemus hanc probam. Sed nonnulli mortui sunt, cum in iisdem proba facta evasisset positiva – et hoc quidem videtur esse res eximiê extraordinaria. Hac autem de causâ nos tam vehementer timemus. Nisi istam probam haberemus, nihil animadverteremus periculosum! Haec condicio nondum mutata est.

Nunc autem multi quaerunt: *„At quid factum est in Italiâ? Quid Matriti et Novi Eboraci? Quid ibi factum est?”* Ita vero, quidnam ibi factum est. Ibi est id factum, quod nunc apud nos quoque fieri apparet: Homines timore in insaniam ceciderunt. Necnon medici et nosocomi. Qui ibi aegrotos curant curationibus, quae omnino absurdae sunt et inutiles, immo nocentissimae. Ibi si qui tussiens in nosocomium venit, statim probae subicitur covidianae. Si autem moritur, corpus eius dissecatur. Prius aliqui senex tussiens postquam mortuus est non est dissectus. At hodie in eius corpus aliquid invenitur, e.g. embolia pulmonis. Prius non quaerebatur talis morbus. Scisne, quanta sit frequentia dissectionum in Germaniâ? Sunt 3,5% (tres – virgula – quinque partes pro centum) mortuorum, quorum corpora dissecantur. Hi homines dissecantur. At magnus numerus aliorum hominum, qui aliis de causis moriuntur – non respicitur. Nunc subito morbus tantummodo coronarius valet et subito hic morbus novis rationibus consideratur. Subito contenditur morbus coronarius sive potius covidianus etiam spectare ad cerebrum et ad organa parenchymatosa. Paene dixi ipsos medicos nescire, quidnam sit morbus covidianum-19. At si attentius disquisiveris, quales morbi reverâ subito augeantur, invenies morbos psychicos timore effectos. In dies plures invenies homines alcohol potantes, homines desperatos, depressivos, senes solitariê viventes, qui a nemine adiuvantur, quia vetitum est eos adjuvare, quia vetitum est eos visitare. Hi autem homines vehementer patiuntur. Et passionibus moriuntur. Necnon homines sani et animo et corpore affliguntur quarantenâ generali, nisi iam iisdem licet se movere, facere ea quae sibi placent, unâ cum aliis versari, pedifollio ludere, congregari, convivium celebrare, saltare. Tales motiones sunt necessariae. Nisi homines se movent, thrombosi afficiuntur. Si ferê semper sedent in sellâ ante computatrum positâ, eorum in vênis crurum femorumque oriuntur thrombi, id est coagula sanguinis, quibus fit, ut incidant in emboliam pulmonum. Scilicet hoc nequaquam effectum esse ipso vîro covidiano. Reverâ orta est talis embolia

pulmonum effectu quarantena. Eheu, quot damna detrimentaque oriuntur effectu istius quarantena! Quae oportet finiatur quam citissimè! Omnis homo, qui curat istam quarantenam retinendam, contrahit culpam!

At vos qui estis huc congregati rogo, ut eatis ad delegatos vestros! Dicite haec iis! Dicite iis haec quam dilucidissimè: Nos potestatem nostram delegatis tradidimus, ut facerent normas. Non tradidimus, ut sequerentur nonnullos paucos, quos quidnam velint nescimus; non tradidimus potestatem nostram, ut sequerentur specialistas, qui mundum aspectarent per microscopium. Non factae sunt disputationes et discussiones. Dubitationes sine argumentis sunt repulsae, homines sunt diffamati. Scientistae diffamantur. Equidem non sum scientista – ego sum practicus – nonne? At scientistae sunt diffamati, qui ordinis sunt excellentissimi. Nôvi permultos scientistas, qui scribunt mihi – qui sunt subtilitatum peritissimi! Qui nolunt se nomine suo appellari. Qui dicunt: „*Utaris, quaeso, his litteris. Sed noli dicere, a quo acceperis.*“ Qui sunt scientistae institutorum maximè variorum. Qui mihi scribunt, quia vexantur morsu conscientiae, quod participes sunt tantae insaniae! Praepositi Instituti Roberti Koch non faciunt id, quod sibi mandatum est, id est non tutantur homines, sed faciunt ea, quae facere iubentur a politicis, et dicunt ea, quae ab iisdem dicere iubentur. Nisi eadem dicunt et faciunt, quam maturrimè dimittentur! Ergo hi homines Instituti Roberti Koch praepositi obnoxii sunt politicis. Ergo non est causae, cur confidamus hominibus isti instituto praepositis. Sed licet confidamus rebus eiusdem Instituti statisticis. Quae curantur tam diligentur quam umquam antea. Ab hominibus bonis atque peritis. At ne umquam confidamus iis, qui semper ad superiores suspicientes rogant verniliter: „*Quidnam vultis dicam?*“ Necnon oportet diffidamus istis scientistis, qui avidè gestiant pecunias a gubernatione foederali datas ideoque blandientes nihil dicant nisi ea quae audire vult gubernatio foederalis. Quales sunt permulti. Scientistae sunt corrupti, quia non possunt quin cupidissimè studeant accipere tales pecunias, sine quibus non possunt investigare. Hoc autem est plurimum dolendum. Instituta publica – e.g. Officium foederale autocineticum – non potest quin sequatur ministrum rei viatoriae, alioquin non haberemus scandalon illud negotiationis VW. Institutum autem Roberti Koch non potest quin oboediat Domino *Spahn*, alioquin

praepositus huius Instituti dimittetur. Tales res omnino non sunt iustae atque bonae. Quae sunt corruptiones institutionales. Oportet tales ne fiant. Nos volumus confidere magistratibus nostris, pro quibus pecuniam solvimus et qui pro nobis debent operari. Eorum hominum studia ac negotia officialia utinam ne ullo modo nos lateant, utinam sint nobis quam pellucidissima! At plurimum dolendum est, quod talia non sunt. Ut talia fiant, oportet nos curemus necnon oportet curent delegati nostri.

Spero autem hanc rem factum iri meliorem. Et pro certo habeo meliorem factum iri, si vos perrexeritis pugnare tam perseveranter quam usque nunc pugnavistis. Equidem vos libenter adiuvo adiuvoque, et scio multas res fore retractandas, si ista insania erit finita. Et bene spero istam mox finitum iri. Vobis exopto optima quaeque. Bene valete!

<https://www.youtube.com/watch?v=WnU5kz86fOU>

RUBIKON Im Gespräch „Ein Menschheitsverbrechen“ Wolfgang Wodarg und Jens Lehrich

142.990 Aufrufe • 31.05.2020

DE ULMENSIBUS MANIFESTATIONIBUS ANTICORONARIIS

„Opinio dominans iam saepe erat falsa“

Pandemia. Markus Haintz Ulmae in urbe instituit manifestationes contra restrictiones coronarias. In colloquio interrogatus îdem iurisconsultus 37 annos natus de causis loquitur, quibus hoc faciat.

Scrisit¹ Christoph Mayer, in Latinum convertit Leo Latinus.



Marcus Haintz: »Politici« inquit »istam rem vehementer exaggerant.

Oportet restrictiones coronariae statim tollantur«.

Nonnulla sunt, ex quibus concludi possit Germaniam aliquatenus tolerabiliter superare crisin coronariam praecipuê eâ de causâ, quâ restrictiones a politicis praescriptae maturê iam effectum habuerint – et habeant. At Markus Haintz non vult hoc argumentum valere. Qui Ulmensis patronus iuris aedificatorii 37 annos natus instituit manifestationes anticoronarias, quae in plateâ Ulmensis ecclesiae monasterialis fiunt septimanatim. Îdem vir argumentatur damna collateralia restrictionibus effecta multo graviora esse quam damna valetudinis, quae exoriri possent ipsâ pandemiâ vîrali.

¹ cfr Südwestpresse, d.29. m.Maii, a.2020, p.16: „Die herrschende Meinung lag schon oft falsch“.

Quo momento temporis cogitavisti: „Nunc tempus est resistendi”?

Markus Haintz: Iam ex primo initio potius dubitaveram de remediis morbi coronae adhibendis. Sed haec dubitatio mea processu temporis valdê aucta est. Cum argumentationem, quâ congregationes maiores interdicerentur, saltem aliquatenus intellexissem, si tardissimê, quarantenâ generali praescriptâ et contactibus interdictis mihi persuasissimum erat homines politicos hanc rem vehementer exaggerare. Cum ceteris tum eâ praecipuê de causâ, quâ ipso illo tempore clarê patuit numerum reproductionis iam decidisse a valore 3,3 (trium – virgula – trium) usque ad valorem 1 (unius).

Quâ re commovêris, ut instituas has manifestationes?

Homo sum, qui valdê amet libertatem. Hoc nequaquam valet me non respicere desideria hominum aliorum. Video interim multos homines vexari effectum quarantena generalis, praesertim homines societatis infirmiores. Nolo iners pati ordinem constitutioni destinatum debilitari. Patronus cum sim, ius iurandum iuravi professionale, quod magni aestimo.

Quae restrictiones tibi sunt molestissimae?

Molestissima mihi est obligatio mascae gerendae, praesertim cum eadem introducta sit, cum numeri infectionis iam essent valdê deminuti. Accedit quod homines responsales, quorum primus est *Professor Drosten*, antea publicê declaraverant mascas esse inutiles. Quae sententia etiam comprobatur ab hominibus peritissimis. Politici autem responsales mascas saepe non gerunt nisi telecameræ ad se sunt directae. Videntur ad eos aliae normae valere quam ad cives communes.

Sunt etiam homines iuniores vîro coronae infecti, quorum morbus procedat dramaticê. Novistine aliquem, qui in morbum covidianum inciderat aut eodem morbo adhuc laborat?

Talem ignoro.

Recusasne, ne sequaris praecepta protegendi?

Non gero cottidianam mascam medicinalem, nam nolo coram publico ambulare larvatus. Gero, si necesse est, tegimentum oris nasique

comparabile, ut clarê manifestem, quid sentiam de obligatione mascae gerendae. Praecepta autem teneo, etiam normas protegendi alias. Hoc facio, cum respiciam homines alios, qui aliter sentiant aut timore vexantur. Tamen praecepta nunc valentia puto a iure discrepare.

Quid respondes plerisque medicis atque scientistis, qui moneant cavendum esse severaque praecepta esse tenenda? Illi homines suntne omnes occaecati an studio proprii tantum commodi inducti?

Non valet sententia eorum, qui habentur pro maioriâ. Opinio enim dominans in historiâ saepe erat falsa. Agitur de argumentis, non de maioritatibus. Scaenarium istud horrificum, quod nobis venditum est a politicis et scientistis, non est ad veritatem adductum. Nosocomiorum praepositi annuntiant laboris deminutionem. In praesenti 99,99% (nonaginta novem – virgula – novem – novem partes pro centum) hominibus quamquam non sunt infectae, tamen pergitur diffundi terror panicus. Necnon feliciter accidit, ut portiones mortalitatis, si maximae, non maiores sint quam portiones influentiâ graviore effectis.

Quid obicis politicis?

Patet politicos non perpendisse impensa et commoda quarantena generalis inter se comparanda. Equidem in litteris apertis d.1. m.Maii ex omnibus ferê delegatis Conventûs Foederalis dimidiâque parte Germanorum delegatorum Comitiorum Provincialium quaesivi, num in re diiudicandâ effectûs quarantena generalis perpensi essent, quales essent mortalitas propter locum operarum amissum aucta, portio suicidiorum exaucta, detrimenta infantibus illata, mortalitas, quae exaucta est sectionibus chirurgicis ommissis.

Responderuntne politici?

Nullus politicus responsalis usque nunc mihi respondit talem perpensionem esse factam. De hac re non miror, cum legislatores causas legum afferentes semper contendunt nullas esse facultates alternativas. Politici videntur opinati esse neminem quarantenâ generali moriturum esse. At ista opinio non congruit cum verâ vitae experientiâ. Damnis quae dicuntur collateralia non respectis nunc politici conantur hunc errorem occultare.

Estne via Suetorum sanior?

Sueti videntur putare civem esse sui iuris; eorum natio, quod magnam vim attribuit iuribus libertatis, sed tamen minimê negligit necessitates medicinales, interim laudata est ab Organisatione Valetudinis Mundanâ (WHO). Suetia numeris mortuorum relativis in praesenti insigniter superatur ab Italiâ et Hispaniâ; ipsa adhuc his numeris superat Germaniam, sed damna collateralia supra commemorata in Suetiâ propter quarantena absentiam erunt multo minora, quia ibidem vita publica paulo tantum erat restricta neque oeconomia perniciei erat permissa. Praeterea, cum Suetorum immunitas gregalis multo maior fiat quam nostra, verisimile est, si quae unda morbi coronarii altera venerit, numerum aegrotorum in Suetiâ fore minorem.

Suntne etiam aliae nationes, quas putas prudentius agere? Utrum talis est Israhelia? An tales sunt Civitates Unitae? An ipsa Brasilia?

Non certior factus sum de singulis remediis omnibus, quae adhibentur ab omnibus nationibus, sed hoc non est thema, quod tractare mihi in animo est. Sed quâdam disquisitione Israhelianâ demonstratum est nullum prorsus esse indicium, ex quo concludi possit severâ quarantena in Israheliâ adhibitâ hanc terram servatam esse a lue perniciosissimâ. Etiam in terris, ubi nulla remedia severa sunt adhibita, populi portio non est infecta, quae est inter 99,5-99,7% (partes pro centum nonaginta novem – virgula – quinque et nonaginta novem – virgula – septem).

„Oportet finiatur ratio politica, quae falso dicitur expers alternativae“.

Nonne eo offenderis, quod greges partis politicae dextrae et theoretici conspirationis manifestationibus anticoronariis abutuntur sui planiformis?

Praecipuê offendor istâ sententiâ semper semperque repetitâ, quae mihi videtur esse falsa. Nos omnibus hominibus pacificis praebemus planiformam, quâ patefaciant sententiam suam. Omnis manifestatio, cuius ego particeps fui aut cuius fui institutor responsalis, complexa est homines variorum nostrae societatis gregum communes. Diurnarii

generaliter in dubium vocant manifestatores nullo alio fine nisi eo, ut homines extimescant, ne manifestent voluntatem iura sua libertatis defendendi. Necnon reprobis, quod omnes, qui vituperent cursum gubernantium politicum, generaliter diffamantur nomine theoreticorum conspirationis increpatorio.

Unde nuntios accipis de morbo coronae allatos?

E mediis diurnariorum principalibus germanicis et internationalibus, e mediis alternativis, ab hominibus amicis cognitisve ubique terrarum versantibus, a politicis specialistisve, qui me faciunt certiore. In talibus nuntiis perscrutandis semper maximi aestimo fontes originales nec de ullâ re coram publico sententiam dico nisi antea nuntios materiasve quam diligentissimè probavi et confirmavi.

Putasne ius libertatem accipiendi iusque desideria propria explendi graviora esse quam ius valetudinis?

Haec quaestio falso posita est, nam et iura libertatis et ius incolumitatis corporalis sunt bona iuris gravissima. Sine magnâ difficultate et sine ullâ iurum libertatis civium ceterorum restrictione severâ fieri potuit, ut grex senum morbis aliis iam laborantium protegeretur, quatenus ipsi hoc vellent. Hanc occasionem politici negligenter omiserunt. Detrimenta autem societatis isto errore effecta nobis dolorosè ferenda erunt per longum tempus.

At restrictiones modo gradatim laxantur. Tibine hoc videtur non satis fieri?

Praecipuè mihi hoc videtur fieri non satis celeriter. Restrictiones enim, si tardissimè, ex eo momento temporis fuerunt iniquae et illegitimae, ex quo clarè patuit scaenarium istud horrificum saepe praedictum ad veritatem non adductum iri. Numeri e quibus hoc apparet, iam ex septimanis praesto sunt. Oportet quam maturrimè tollantur omnes iurum fundamentalium restrictiones. Omnino illicitum est statûs consueti iurumque fundamentalium recuperationem non permittere nisi istâ sub condicione, ut vaccinum inveniatur et adhibeatur, qualem condicionem politici quidam principales iterum iterumque postulant cum perseverantiâ molestissimâ. Oportet finiatur ratio politica, quae

falso dicitur expers esse alternativae necnon restrictiones propter decreta coronaria praescriptae oportet statim tollantur. ---



Marcus Haintz loquitur in manifestatione d.23 m.Maii 2020 Ulmae factâ

MARKUS HAIN TZ

**patronus iuris aedificatorii Ulmensis
d.29. m.Maii a.2020 interrogatus est**

a Christophoro Mayer

**relatore ephemeridis, c.t. *Südwestpresse*,
de manifestationibus Ulmae a se institutis,
quibus postulatur, ut tollantur restrictiones iurum
ad morbum coronae viralem impugnandum factae.**

**Hoc colloquium interrogatorium originaliter
theodiscum Latine est redditum a LEONE LATINO.**

DE MANIFESTATORE ANTICORONARIO

QUID SENTIAT CUPRARIUS

De hęc colloquio interrogatorio in ephemeride, c.t. *Südwestpresse*, divulgato, *Dr. Christophorus Cuprarius*¹ medicus Ulmensis scripsit verba, quae infra sumus allaturi Latinę reddita:

Epistula lectoris (*Südwestpresse*, d.29. m.Maii. a.2020, p.16):

Hanc sententiam esse egocentricam et periculosam

Quoad colloquium cum Marco Haintz facto

Marcus Haintz male abutitur angustiis, quas tempore pandemiae coronariae multi homines patiuntur, ut se ipsum inaniter ostendet. Idem *sensūs iniucundos*, quibus multi commoventur, inter se coniungit ad ideologiam sui ipsius divulgandam.

Errores, quos politici necessario committunt in re tam intricatę, isti non sunt indicio, hoc problema quam ingens sit et quam difficile sit idem oculis terminare. Iste habet proprias suas veritatulas. Isti autem res simplificanti clarę patet necessario errare homines specialiter doctos. Ea quae fiunt in Americę? In Brasilię? Quid de locis illis, ubi cadavera hominum obruta sunt acervatim? Haec non curat iste. Nec Dominus Haintz animadvertit in nave suę unę secum remigare homines politicae partis dextrae et assectatores narrationum conspiracy – hos nuntios omnes putat esse falsos.

Istud utinam ne fecisses, SÜDWESTPRESSE! Non licet isti sententiae periculosae atque egocentricae tantum loci concedere sine ullę adnotatione. Qui Haintzium istiusque sodales adiuvat sine ullę adnotatione, is culpa, quę homines sunt mortui, se facit affinem².

Dr. Christophorus Cuprarius Ulmensis

Adnotatiuncula Leonis Latini

Procul dubio licet Doctorem Cuprarium dicere sententiam suam – exemplo mihi in hac re est Voltarius Francogallus ille illustrissimus, qui dicitur dixisse haec ferę verba: *‘Domine, omnino dissentio a te, tamen vitae periculum adirem, ut*

¹ Nomen germanicum originale redegi ad formam Latinam.

² Lege verba originalia vix credibilia: „*Wer Haintz und Co. kommentarlos unterstützt, macht sich mitschuldig an Todesopfern.*“ Delirat Cuprarius!

tibi ius concederetur sententiam tuam dicendi! O quam vehementer doleo, quod Voltarius iam mortuus est ! Talem virum hodie desideramus dolorosê.

Cuprarium autem verba Voltarii aut numquam accepisse aut non intellexisse ex eo clarê patet, quod in Marcum manifestatorem iniustissimê invecus eundemque egocentrismi accusans scribit verba: *Istud utinam ne fecisses, SÜDWESTPRESSE! Non licet isti sententiae periculosae atque egocentricae tantum loci concedere sine ullâ adnotatione. Qui Haintzium istiusque sodales adiuvat sine ullâ adnotatione, is culpa, quâ homines sunt mortui, se facit affinem.*

Undenam iste calumniator tam certo scit se de quarantenâ generali propter morbum coronarium decretâ iustius iudicare quam Marcum manifestatorem? Et quare putat diurnarios (i.e. redactorem huius ephemeridis Ulmensis) relationes suas sententiasque aliorum nuntiatis debere semper commentari secundum sententiam gubernationi gratam pro eo ut referant de rebus factis quam accuratissimê et verissimê nuntiorumque acceptoribus ipsis permittant quidcumque sentiant de nuntiis acceptis? Nonne, ut aliud exemplum afferam, plerosque Germanos telespectatores iam pridem pertaedet relationum opinionibus stationis televisificae falsatarum, quales habere solent *Kleberi* et *Reschkiae!*

Adrogantiae autem absurdae atque hypocriticae est, quod Cuprarius Marco manifestatori vitio vertit mortem hominum coronâ laborantium. Ipse obscurê hariolatur de Americâ et Brasiliâ deque cadaverum acervis, sed ne ullo argumento utitur, quo demonstret quarantenâ servatos esse homines eâdemque nunc sublatâ homines esse morituros.

Denique plurimum dolendum est Dominum Cuprarium damnorum quarantenâ effectorum nescium esse, expertem esse tolerantiae democraticae.

<https://www.youtube.com/watch?v=WnU5kz86fOU>

RUBIKON Im Gespräch „Ein Menschheitsverbrechen“ Wolfgang Wodarg und Jens Lehrich

142.990 Aufrufe • 31.05.2020

SALIM HAGE PHARMACOPOLA BRUXELLENSIS QUID SENTIAT DE VIRO COVIDIANO

D. Saturni, 23. m.Maii, a.2020, h.8:39 PM SPQR <SPQR@leolatinus.com> scripsit:

Care Selime,

summas gratias pro pulchrâ inscriptione Bruxellensi! Quam libenter publicabo proximâ in EL (217). Quid tibi pharmacologo videtur de vîro covidiano? Cupio accipere sententiam hominis huius rei certê bene periti. Haec raptim, mox certê plura. Vale pancraticê. Medullitus te salutat Nicolaus.

Carissime Nicolaë,

Tibi gratias ago. Menda vel stili defectûs, si in textu meo invenis, corrige, quaeso. Quid mihi videtur de vîro coronae?

1° Probabiliùs vîrus illud non est merê naturale, sed ad suam vim augendam ab hominibus modificatum. Etenim mutationes eius nimis frequenter occurrunt, et multorum id nimis interest.

2° Dato (non concessio) illud vîrus plenê naturale esse, tam callidê et astutê hîc utuntur et usurarii mercatoresque maiores ad fenora amplianda, et regentes (vel potiùs societates quae nos regentes ipsos occultê regunt) ad libertates personales restringendas. Dantur restrictiones legitimae, sicut oris tegminum gestatus vel cauponarum clausio, sed dantur quoque absurdae et illegitimae, sicut quae de rebus liturgicis (!) statuit Status Italicus, quae serviliter obsequuntur - etiam, proh! in Sacramentorum administratione - multi clerici moderni, i.e. nobis dilectissimae linguae Latinae infensissimi hostes.

3° Ab epidemiae initio pharmacopolae - saltem in Belgio - thermometris, oris tegminibus, chirothecis, ethanolo, gelu ethanolicò, etiam vîra inhibentibus aetheroleis (e.g. camphorae vel melaleucaae) carent, quia omnia statim vendita sunt simul ac ephemerides de illis mentionem fecerunt, et quia ferê omnia ab unis Sinensibus producuntur.

4° De vaccini futuri obligatione valdê timendum. Anno MMIX, epidemiae influentialis (H1N1) causâ, vaccina multa (probabiliùs iam praeparata antequam morbus disseminatus est) sine praeviâ toxicitatis sufficienti observatione permissa sunt, quae toxicitas multos obitûs in orbe causavit. Vaccinorum autem productores ab omni iudiciali propter adversos effectûs persecutione immunes fuerunt, etsi multam tamen pecuniam collegerunt Statibus miliones vaccinatorum suorum vendendo, quorum novem partibus nemo usus est.

Medullitus te salutat Selimus Sarbelius


DE QUODAM MEMORIALI LATINE SCRIPTO IN BASILICA SACRATISSIMI CORDIS IUXTA BRUXELLAS INVENTO

Anno MMXIX amicum in Aquis-Grani degentem Bruxellis ducebam. Basilicam Sacratissimi Cordis Jesu in vico *Koekelberg* visitavimus, quae in templis Christianis quartum est amplitudine, etsi revera multo minor est quam in projecto quod Rex Belgarum Leopoldus II optaverat (cum decem magnis turribus pro novem provinciis regni Belgici et pro coloniâ Congolensi, sed, bello Europam depopulante, pecunia ad tantum projectum post MCMXVIII defuit).

In templo circumeuntes hunc textum stylo haud vulgari conditum vidimus (v. infra).

Ad Basilicam totius nationis aedificandam collegerunt enim pecuniam dominulae multarum Societatum juventutis catholicae, « florem Basilicae » a se confectum vendendo ad porticus omnium ecclesiarum regni, nonnullis annis praesertim in festo Christi Regis (ultima Dominica mensis Octobris), Archiepiscopo Mechliniensi approbante. Memoriale anno MCMXXXIII positum est, scilicet in decimo nono centenario Redemptionis.

Selimus Sarbelius Hage, pharmacopola, die 23 Maji MMXX.



MEMORIALE
IUVENCARUM EX OMNI TRACTU PATRIAE
FLOSCULOS QUAE SACRATISSIMI CORDIS
OPPIDATIM DISTRAHENDO ET PAGATIM TUM
APIATUM CHRISTO DEVOTUM EXAMEN
MELLIGINEM IN ALVEARE COLLIGENDO
GRATIAM SIBI CONCILIAVERE APUD DEUM
HUIUS SACROSANCTAE BASILICAE
AUSPICES ET FAUTORES
P.C.
PIACULI QUOD CRUORE PROPRIO
FILIUS LIBAVIT PATRI
ANNO SAECULARI XIX.

melligo, -inis f. PLIN.nat.11,14; 16,28
 P.C. = (ponendum curaverunt)

EPISTULAE

D.23.m.Maii a.2020 h. 13:39 scripsit **Salim Hage:**

Care Nicolaë,

Tibi gratias ago et textum scripsi de quadam inscriptione in Bruxellis visibili.

Medullitus te salutat

Selimus Sarbelius Hage

Nicolaus Selimo s.

Care Selime, summas gratias pro pulchra inscriptione Bruxellensi! Quam libenter publicabo proxima in EL (217). Quid tibi pharmacologo videtur de viro covidiano? Cupio accipere sententiam hominis huius rei certe bene periti. Haec raptim, mox certe plura. Vale pancratice. Medullitus te salutat Nicolaus.

Selimus Nicolao s.

Carissime Nicolaë, Faustum Pentecostes festum exopto tibi !

Potesne mihi dicere, quaeso, quod significat elocutio "media et major pars"?

Nescio

- utrum illa tantum "plus quam 50%" significet, sive in genere,

- sive praesertim "plus quam 50%, seu primum numerum integrum supra dimidium accuratè sumptum" de rebus in numero impari (e.g. 8 ex 15 rebus ejusdem generis),

- an sermo ille aliam rationem praecisè indicet (puta 75%).

Gratias tibi in antecessum ago et medullitus te saluto

Selimus Sarbelius

Nicolaus Selimo s.

Selime carissime, etiam tibi sit Faustum Festum Pentecostale! Quod degas felicissime.

Quantum scio, locutio, q.e. "media et maior pars", non spectat ad calculos et numeros, sed ad structuram ecclesiae: Est enim i.q. fuse appellatur "media et maior pars fundi in templo sacro". Apud auctores mediaevales haec pars ecclesiae dicitur "navis ecclesiae".

Haec hactenus. Mox publicabo EL 217, cui insunt etiam symbolae tuae.

Vale quam optime.

Medullitus te salutat

Nicolaus

Selimus Nicolao s.

Enim "media et major pars fundi in templo sacro" navem designare potest, quia "majus dimidium" ecclesiae est locus ubi fideles stant et orant.

In meo casu tamèn de ecclesiae structurâ non agebatur; sed sermo erat (in informatione canonicâ anno MCDII factâ) de Sacris Hostiis quas fur ex capellâ Divae Katharinae in civitate Bruxellensi hanc aedem infringens rapuit anno MCCCLXIX.

(Vide <https://books.google.be/books?id=7aoLAAAAAYAAJ> columnâ 771).

In ciborio erant XVI Hostiae; ex his una majoris formae erat (scilicet ad expositionem SS. Sacramenti), reliquae XV autem parvae. Die Paschatis sequenti (XIV. Aprilis MCCCLXX) redditum est ciborium Ecclesiae, nempe parochio ecclesiae Beatae Virginis de Capellâ (non est tamèn certum utrum omnes XVI Hostiae tunc in ciborio fuerint necne, quia in scriptis posterioribus auctores tantùm XI restitutas indicant, sed hoc non supponit textus dictae informationis canonicae).

Sanguine ex Hostiis profanatis (clarissimo miraculo) manante, orta est contentio de possessore legitimo inter parochiam Divae Virginis et Collegiatam DD. Michaëlis et Gudilae, cujus capitulum jurisdictionem habebat super templum D. Katharinae. Pactum inter eas convenit, secundùm quod major Hostia et "media et major pars" parvarum Hostiarum in Collegiatam translatae fuerunt, scilicet - ut posteriùs descriptum est - VIII parvae ; reliquae vero (VII, vel II secundùm hypothesim scriptorum posteriorum) in ecclesiâ Divae Virginis remanserunt.

Priùs non videbam quomodo "media et major pars" IX ex XI rebus (circa 3/4) indicare posset, quia, secundùm libros quos priùs legi, XI Hostias putabam tunc in ciborio fuisse; sed nunc, omnibus attentè iterùm et iterùm perlectis, puto hanc rarissimam elocutionem VIII ex XV Hostiis indicavisse.

Medullitùs te salutat

Selimus Sarbelius

Nicolaus Selimo Sarbelio sal.

Care Selime, perlêgi columnam Analectorum Historiae Pontificiae a te indicatam. Stupefactus animadverto te incidisse in quaestionem calculi mirabilis spinosam atque aenigmaticam, quam enodare in praesenti omnino nescio. Fortasse inveniemus aliquem lectorem historiae ecclesiasticae tam bene peritum, ut sciat te adjuvare hoc problema tractantem. Sed adhortor te, ut pergas curare thaumatologiam mediaevalem et nobis referas de studiis tuis doctissimis. Tu pharmacopolarum doctissime valeas pancratice et vivas iucundissime. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

**Leo Latinus scripsit Andreae Fritsch Professori Berolinensi emerito scripsit haec q.s.
D.16.05.2020 h.16:38 scripsit Leo Latinus:**

Nicolaus Andreae suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v. In appendice, Andrea taciturne (qui taces ex multis iam mensibus) invenies brevem indicem vocabulorum, quae spectant ad affinitatem atque consanguinitatem. Quia Romani huic rei magnam vim attribuerunt, non difficile fuit aptas versiones invenire. Proximus index tibi mittendus spectabit ad res athleticas, quae in hoc Orbe Picto francocanadiano uberrime tractantur. Utinam sine nimia difficultate fiat, ut hanc quoque partem Orbis Picti toga induamus. Pancratice valeas, Latinitatis defensor meritissime. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

D.16. m.Maii a.2020 h.18:54:44 respondit Andreas Fritsch:

Andreas Nicolao, sodali de Latinitate optime merito, salutem plurimam. Ignoscas, Nicolae carissime, quod tam diu tacebam nec tibi quicquam scripsi. Erant autem multae et variae res, quae me prohibebant, quas enumerare longum est. Tamen tibi magnas gratias ago, quod mihi epistulas Leoninas mittere pergis. Quarum recentissima erat ducentesima quinta decima (215), quam die decimo septimo mensis Martii misisti. Ut iam saepius scripsi, tuam scientiam et industriam admiror, et spero sodales Academiae Latinitati Fovendae nunc et posthac fructum capturos esse ex opera tua et studiis tuis. Quamquam ego ad ipsam Latinitatem vivam augendam et provehendam his annis pauca vel paene nihil novi contuli, tamen aliquid sive sermone sive scriptis feci. Anno superiore in Academia, cui nomen est Vivarium Novum, scholam Latinam habui de quibusdam carminibus Latinis, quae ad Comenium pertinebant. Hoc anno (a.d. Kal. Martias) hac in urbe in quodam conventu Leibnitii epicedium Latinum exposui “ad obitum Comenii”, quia Comenius ante CCCL annos mortem obiit. De hac re rettuli in periodico, cui titulus est “Latein und Griechisch in Berlin” 1/2020. Hoc scriptum subiungam in appendice huius epistulae.

Praeterea Theodisce conscripsi commentarium, qui inscribitur “Latinitas viva in Deutschland – Utopie und Realität” et hac aestate edetur in libro, cui titulus erit (nisi fallor) “Litterae recentissimae”. Erat acroasis, quam in universitate studiorum habui, quae sita est in urbe Wuppertal. In hoc commentario etiam nomen tuum laudavi. Hunc quoque textum adiungam in appendice. Gaudeo et gratias tibi ago, quod tu tam fortiter ac feliciter Latinitatem provehis.

Bene vale mihique favere pergas, quaeso. Andreas.

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hôt tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50


14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM SEPTIMAM DECIMAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



Die Veneris, 05. m.Iunii a.2020

Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae